



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Lvgdvnense II. Gvntramni Regis Ivssv In Ipsivs regno  
celebratum, anno Christi DLXX. inductione XV. Ioannis III. papae anno VIII.  
Chariberti, Guntramni, Chilperici & Sigeberti fratrum regum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

illius nobis salutem deferas? Pater (inquit presbyter) Leontius tuus cum comprouincialibus episcopis salutem tibi mittit, indicans Aemilium (sic enim vocitare confueuit Emerium ab infantia sua) electum ab episcopatu, pro eo quod pratermissa Canonum sanctione, urbis Santonice episcopatum ambiuit: ideoque consensum ad te direxerunt, ut alius in locum eius substituatur: quo fiat, ut dum transgressores Canonum regulariter arguuntur, regni vestri potentia auis prolixioribus propagetur. Hoc eo dicente, fremens rex eum a suis conspectibus extrahi iussit, & plauso spinis suppleto imponi desuper, & in exilium protrudi precepit, dicens: Putasne, quod non est super quisquam de filii Cloharii regis, qui patris facta custodiat, quod hi episcopum, quem voluntas regis elegit, absque nostro iudicio proiecerunt? & statim electis viris religiosis, episcopum loco restituit. Permansisse Emerium deinceps in Santonensi episcopatu, eumdemque reconciliatum fuisse Leontio, ex his quae scribit Venantius Fortunatus in carmine de basilica sancti Bibiani, intelligi potest.

Emerius  
penitentia  
egit.  
  
Leontius  
Burdigalen-  
sis episco-  
pus.

<sup>b</sup> Leontius.] Hic Leontius XIII. numeratur a Fortunato Burdigalensis episcopus; qui nobilissimo genere ortus, diuitiisque pollens, & egregiis animi virtutibus exornatus, coniugatus licet, inuitus ad eius ecclesiae episcopatum assumptus fuit. Nomen coniugis fuerat Placidina, ex imperatorio stemmate procreata: que optimis composita moribus, et si a sancto viro suo corpore diuisa foret, bonis tamen operibus ipsi comes indiuidua inhæsit. Archima soror Placidinae, & vxor Apollinaris, etiam indulxit viro suo, ut episcopus crearetur, ipsaque diuinis templis erigendis vacaret. Gregorius Turenensis de gloria martyrum cap. 65. Fortunatus lib. 1. carm. in laud. Leontii. Baron. ann. 566. num. 19. & 20.

---

## CONCILIVM <sup>b</sup> LVGDVNENSE II. GVNTRAMNI REGIS IVSSV IN IPSIVS

regno celebratum, \* anno Christi DLXVII. indictione XV. Ioannis III. papæ anno VIII. Chariberti, Guntramni, Chilperici & Sieberti fratrum regum VI.

### TITVL CI ANON V M.

- I. De controvēsīs episcoporum per metropolitanos componēdis.
- II. Ut rate sint donationes episcoporum & clericorum, ecclesie vel aliis facte.
- III. De iis qui aliquos per vim & nefas captiuos tenent, excommunicandis, nisi restituant.
- IV. Ut ab uno episcopo excommu-
- nicatus, ab omnibus episcopis excommunicatus habeatur.
- V. Ut que ab episcopo alicui in usum aut proprietatem donata sunt, ab eius successoribus non auferantur.
- VI. De litanīis prima Nouembri hebdomada in omni ecclesia celebrandis.

PRÆ-

P R A E F A T I O.

CVM in nomine Domini in Lugdunensi vrbe ad syno-  
dale Concilium venissemus , tam pro renouandis san-  
ctorum patrum institutis , quæ præsentis temporis neces-  
sario fecit opportunitas iterari , quam his quæ assurgentibus  
vndecumque querelarum materiis , recentis defini-  
tionis ordo poposcit institui , tractantes quid saluti po-  
puli vtilius competeteret , vel quid ecclesiasticus ordo ob-  
seruaret.

C A N O N E S.

I.

Primo in loco vnitatem sacerdotum , quam &  
Dominus diligit , & scriptura commendat , & con-  
cordia caritatis exposcit , conuenit ab omnibus cu-  
stodiri ; ita vt in omni tractatu vel definitione ,  
vno spiritu , vna sententia , sacerdotum constantia  
perseueret. Et si quid inter fratres , id est coepisco-  
pos nostros , contentionis ortum fuerit ; si de vna  
prouincia sunt , metropolitani cum comprouin-  
cialibus suis iudicio sint contenti. Si vero diuersæ  
prouinciæ duo fuerint sacerdotes , inter quos ali-  
qua disceptatio oriatur , conuenientibus in vnum  
metropolitanis ipsorum , omnis eorum actio illo-  
rum iudicio terminetur : ita vt si vnum ex episcopis  
ab alio episcopo , aut a quacumque persona inique  
fuerit aggrauatus , communi fratrum studio cum  
Dei solatio defensetur. Quod si quis se ab hac con-  
ditione quacumque calliditate subtraxerit , tribus  
mensibüs se a caritate fratrum nouerit esse seque-  
stratum.

VI

II.

Secundo loco , quia multæ tergiuersationes in-

Concil. Tom. 12.

E e e

fidelium ecclesiam quærunt collatis priuare dona-  
riis , id conuenit inuiolabiliter obseruari , vt testa-  
menta , quæ episcopi , presbyteri , seu inferioris or-  
dinis clerici , vel donationes , aut quæcumque in-  
strumenta propria voluntate confecerint , quibus  
aliquid ecclesiæ , aut quibuscumque conferre vi-  
deantur , omni stabilitate subsistant . Id specialiter  
statuentes , vt etiamsi quorumcumque religiosorum  
voluntas , aut necessitate , aut simplicitate , ali-  
quid a legum sæcularium ordine visa fuerit discre-  
pare , voluntas tamen defunctorum debeat incon-  
cussa manere , & in omnibus Deo propitio custo-  
diri . De quibus rebus si quis animæ suæ contem-  
ptor aliquid alienare præsumperit , vsque ad emen-  
dationis suæ , vel restitutionis rei ablatæ tempus , a  
consortio ecclesiastico , vel omnium Christianorum  
conuiuio habeatur alienus .

## III.

Et quia peccatis facientibus multi in perniciem  
animæ suæ ita conati sunt , aut conantur assurgere ,  
vt animas longa temporis quiete sine vlla status sui  
competitione viuentes , nunc improba proditio-  
ne atque traditione , aut captiuauerint , aut capti-  
uare conentur , si iuxta præceptum domini regis  
emendare distulerint , quoisque hos quos abdu-  
xerunt , in loco in quo longum tempus quiete vi-  
xerint , restaurare debeat , ecclesiæ communione  
priuentur .

## IV.

Illud etiam quod sancti patres salubriter ordi-  
narunt , placuit iterari , vt si quicumque episcopus

xi. qu. 3. Si  
quis a pro-  
prio.

ANNO CHRISTI 567. pro reatu aliquo quemquam a communione sus-  
penderit , apud omnes sacerdotes eatenus a com-  
munione habeatur alienus , vsquequo eius iudicio  
debeat recipi , a quo meruerat pro reatu suo a ca-  
ritate ecclesiæ sequestrari.

V.

Et quia multa sunt ecclesiæ membra , quæ di-  
uerso genere , pro vitæ suæ qualitate , vel discretio-  
ne sacerdotali , aut oblectari conuenit , aut distrin-  
gi , illud censuimus statuendum , vt quascumque  
munificentias clericis , aut seruientibus , siue de re-  
bus ecclesiæ in usum , aut de propriis in proprie-  
tatem , præcedentes dederint sacerdotes , subse-  
quentes pontifices nullatenus auferre præsumant .  
Si quid tamen culpæ extiterit , pro qualitate per-  
sonarum , vel regula Canonum præcedentium ,  
in persona habeatur , non in facultate districtio .

VI.

Placuit etiam vniuersis fratribus , vt in prima  
hebdomada noni mensis , hoc est , ante diem do-  
minicam , quæ prima in ipso mense illuxerit , lita-  
niæ , sicut ante ascensionem Domini sancti patres  
fieri decreuerunt , deinceps ab omnibus ecclesiis ,  
seu parochiis celebrentur .

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Philippus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Viennensis , consti-  
tutionibus nostris subscripsi .

Nicetius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lugdunensis , consti-  
tutionibus nostris subscripsi .

Agricola in Christi nomine episcopus ecclesiæ Cabilonensis , consti-  
tutionibus nostris subscripsi .

Vincentius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Belicensis , con-  
stitutionibus nostris subscripsi .

Syagrius in Christi nomine episcopus ecclesiae Aeduorum, consti-  
tutionibus nostris subscripsi.

Ætoladius in Christi nomine episcopus ecclesiae Neuernenfis, sub-  
scripsi.

Salonius in Christi nomine episcopus ecclesiae Genauensis, sub-  
scripsi.

Chelidonius in Christi nomine episcopus ecclesiae Matiscensis, sub-  
scripsi.

Valesius presbyter directus a domino meo Syagrio episcopo ecclesiae  
Gratianopolitanæ, subscripsi.

Vincentius presbyter directus a domino meo Lucretio episcopo ec-  
clesiae Deenfis, subscripsi.

Eusebius presbyter directus a domino meo Victore episcopo ec-  
clesiae Tricastinorum, subscripsi.

Piolus presbyter directus a domino meo Tetrico episcopo ecclesiae  
Lingonicae, subscripsi.

Cæsarius presbyter directus a domino meo Tetradio episcopo eccl-  
esiae Velsonensis, subscripsi.

Abstemius diaconus directus a domino meo Maximo episcopo ec-  
clesiae Valentinæ, subscripsi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>a</sup> *Indictione XV.]* In vulgatis editionibus apposita est temporis no-  
ta, *Anno VI. regni glorioſissimi Guntramni regis, indictione III.* quam  
notam competere putant anno Christi D L X X. Et vero de indictio-  
ne certum est eo Christi anno tertiam fuisse. At Guntramni & fra-  
trum eius annus hic erat non sextus, sed nonus. In Synodo enim IV.  
Parisiensi annus XI. Sieberti & fratrum eius comparatur cum in-  
dictione VI. quæ fuit anno Christi D LXXXIII. Quare nono illo-  
rum anno tertia fuit indictio, & sexto eorumdem anno, cum habi-  
tum dicitur hoc Concilium, indictio fuit non III. sed XV. anno  
Christi D L X V I I. Sic ergo ex coniectura correxiimus, cum exem-  
plaribus antiquis in hac Synodo careremus.

<sup>b</sup> *Secundo loco.]* Et Canonem hunc, & alios ex hac Synodo vſur-  
parunt collectiones antiquæ, Andegauensis, Diuionensis, &c.

NOTÆ SEVERINI BINII.

<sup>a</sup> *Concilium.]* Ad uitandum scandalum, quod a quibusdam malæ  
vitæ episcopis ecclesiae Lugdunensi illatum fuerat, per se suosque  
legatos quatuordecim episcopi conuenerunt, statueruntque sex  
dumtaxat Canones, quibus ecclesiasticae paci atque indemnitate con-  
sultitur. Quænam autem fuerint ista allegata scandalæ, ex Gregorio  
Turonensi accipe.

<sup>b</sup> *Lugdunense.]* Sic dictum a Lugduno, de quo hæc in theatro vr-  
bium. *Lugdunum, vulgo Lyon, ante Christi nativitatem anno 23.*

Lugdunum  
Gallie de-  
scribitur.

ANNO  
CHRISTI  
567.

a Numantio Plamitio Romano proconsule sub Cesare Augusto extrudum. Vrbs sita est in monte, ubi fluvius Arar miscetur Rhodano, atque ad mare tendit. Fuit antiquitus schola Latina valde celebris; hodie emporium Galliae celeberrimum. Dion scribit, hanc urbem olim, (prout videre est in antiquis marmoribus & numismatibus,) Lugudunum; postea trisyllabicus, sicut apud Tacitum & Plinium reperitur, Lugdunum vocatam fuisse. Paradinus in sua Lugdunensi historia, quam Gallica lingua edidit, docet a Lini & Plutarcho Insulā; in vetustis inscriptionibus ciuitatem Sequanorum, a Sidonio Rhodaniam; in historia S. Lupi archiepiscopi Lugdunensis Arariam nominari; hanc dubie a Rhodano & Arare fluminibus eam interfluentibus. Gregorius Turonensis lib. 1. tradidit eam quoque nobilissimam nominari, ex eo quod martyrum sanguine illustrata fuerit. Plutarchi libellus de fluminibus & montibus scribit, ciuitatem Lugdolum vocatam, & montem cui insidet, Lugdunum; historiamque fabulosam, & rationes fruolas adducit. Plinius in epistolis hanc urbem ornamentum prouinciarum dicit. De huius origine, nominisque ratione, lege historiolam, seu potius fabellam apud Plutarchum de montibus in voce Araris. Hæc ex theatro vrbium & geographia Ortelii.

DE SALONIO ET SAGITTARIO EPISCOPIS,  
qui in eadem Synodo Lugdunensi ob diuersa scelera  
damnati, episcopatusque honore priuati sunt.

Ex Gregorio Turonensi lib. v. historiae cap. xx.

**C**ONTRA Salonium, inquit, Sagittariumque episcopos tumultus exoritur. Hi enim a sancto Nicetio Lugdunensi episcopo educati, diaconatus officium sunt sortiti: huiusque tempore Salonius Ebredunensis vrbis, Sagittarius Vapingensis ecclesiæ sacerdotes statuuntur. Sed a sumpto episcopatu, in proprium relati arbitrium, coeperunt in peruationibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diuersisque in sceleribus insano furore grassari: ita ut quodam tempore celebrante Victore Tricastinorum episcopo solennitatem natalitii sui, emissâ cohorte, cum gladiis & sagittis irruerent super eum. venientesque sciderunt vestimenta eius, ministros ceciderunt, vasâ & omnia ad apparatum prandii auferentes, relinquente episcopum cum grandi contumelia. Quod cum rex Guntramnus compriisset, congregari Synodum ad urbem Lugdunensem iussit. coniunctique episcopi cum patriarcha Nicetio beato, discussis causis inuenerunt eos de his sceleribus, de quibus accusabantur, valde conuictos: præceperuntque ut qui

Eccc iiij

talia commiserant, episcopatus honore priuarentur. At illi, cum adhuc propitium sibi regem nosset, ad eum accedunt, deplorantes se iniuste remotos; sibique tradi licentiam, ut ad papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram papa Ioanne, expnunt se nullius rationis existentibus causis dimotus. Ille vero epistolas ad regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitu iubet. Quod rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, impleuit. Sed nulla, quod est peius, fuit emendatio subsecuta. Tamen Victoris episcopi pacem petierunt, traditis hominibus quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti dominici, non debere reddi inimicis mala pro malis, nihil his mali faciens, liberos abire permisit. Vnde in posterum a communione suspensus est, pro eo quod publice accusans, clam inimicis pepercisset absque consilio, quibus accusauerat, fratum. Sed per fauorem regis iterum in communionem retocatus est. *Hacenus Gregorius. qui & alia post hæc de iisdem episcopis multa subiicit, quæ propterea omittimus, quod ad Synodum Lugdunensem non pertineant. Quo autem pacto examinata iterum ac discussa horum causa fuerit in altera Synodo Cabilonensi, suo infra loco videbimus.*

## CONCILIVM TVRONENSE II.

<sup>b</sup> IN CAVSA ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ reformandæ, in basilica sancti Martini celebratum, sub die x v. Kalendas Decembris, <sup>c</sup> anno Christi D L X V I I . Ioannis III. papæ anno VIII. Chariberti regis VI.

### TITVL CI CANONVM.

- I. *De Synodo bis per singulos annos, suos alat. aut semel conuocanda.*
- VI. *Vt epistolia soli dent episcopi.*
- II. *De pace inter episcopos conservanda.*
- VII. *De remotione abbatum, vel archipresbyterorum, sine consilio ab episcopis non facienda.*
- III. *De compositione corporis Dominici super altario.*
- VIII. *Vt episcopus ei quem alter episcopus excommunicavit, non communicet.*
- IV. *Nelaici in ecclesia clericis miscantur.*
- IX. *Vt in Britannia, sine consensu*
- V. *Vt unaquaque ciuitas pauperes*